CASUS MIRUS
DE
CASU CASIMIRI
EXCUSUS
ANNO M. DC. LVI

CASVS MIRVS
Cadit Caſimirus.

ET quidem tantillo temporis ſpatio cadit Caſimirus!
Profectò CASUS MIRUS;
Sed nec adeò mirus:
Ecquid enim mirum, quod ipſe factus eſt EX-REX,
Cum Populus Polonus voluerit eſſe EX-LEX?
Non ſecus certè, ut in temone currus: ſic in obedientia ſubditorum conſiſtit Regnorum ac Regnantium ſalus.
Obedientia ac concordia ſunt Regnorum fulcimenta ac Regum.
His innixa felicitas; quæ non currit, ſed ſtat, quoties rotæ hujus currus ab iſtis nimium deflexerunt.
Et hoc quidem eò magis, cum ſpernitur virtus, quam qui abjiciunt, non habent, undè fatum aut infelicitatem ſuam incuſent; malè cedentibus rebus omnibus, præſertim ſi Numinis contemtus increverit & vita ſolutior. Tàm enim ſubditos, quàm Reges ſemper cogitare decet;

Digitized by Google

A DEO, ad DEUM, in DEO, per DEUM eſſe omnia.
Proinde & illud dirigenda, ante cætera, illa eſſe omnia.

Non rimor nunc omnes hujus caſus cauſas: neque enim omnia ad publicam Lucernam: Melius nonnulla tacentur, quæ tamen aliis ex uſu eſſe queant, ne in eundem impingant lapidem: & nimis fortè multi erunt, queis vana prurigo judicandi facta, inſecta ſuppeditabit: Nobis ſufficit, ex aliorum malis bona colligere.

Neque enim tam ſumus impii in divinam providentiam; ut caſu hæc omnia facta aſſeramus. Novimus enim ſatis, quod Diva illa omnibus imperijs & adſtes ſit & rectrix, imò quod tunc cum caſu omnia mere, & retrò ſublapſa referri videntur, omni caſu major adſit Deus, ſupponens manum ſuam omnipotentem, ne planè collidantur res humanæ.

Illam ſaltem nimiam libertatem accuſamus & exoſam reddimus, cui ne obmurmurare quidem Reges ſuos Poloni voluerit. *Dominam* (ajebant palàm) *viſitis, quæ mutare aurigam poterit, ſi eum temerè à virtute deflectere videbit.*

Quo judicio quid periculoſius? tum confuſam iſtam tot religionum ac ſectarum colluviem, quæ impietatem, unà cum toto reliquorum ſcelerum grege, imò ipſum tandem Atheiſmum ſecum vehit.

Peſtilens ſanè morbus, ipſaque peſte magis peſtiferus: ſic perire regna neceſſum eſt, in quibus injuſtitia, impietas, voluptates, luxus regnant. Ubi vitia pro virtutibus, virtutes pro vitiis, continentia pro ſtultitia, frugalitas pro avaritia, pudor pro ſtupore: ubi ipſius Chriſti, Dei noſtri,

ſtri, inimicis juratiſſimis plus ſæpè conceditur, quàm Chriſtianis, quibus proh nefas! dominantur, & non ſanguinem, ſuccumque tantùm illis exhauriunt, ſed & de vita fortunaque ipſorum (horrendum dictu, ât verum tamen) ſententiam ferre poſſunt; ubi latrocinia, adulteria, & pejora impunè patiantur:

Taceo enim graviora, quæ Deus nunquam ſinit impunita. Hinc illæ lachrymæ. Hoc patiuntur mali nunc ac boni, Chriſtiani, Judæi, Catholici, Hæretici. Nullus deniq; gravior eſt caſus, quàm licentiæ: Granditer ruat neceſſum eſt, qui licentiosè vivit, & ex veteri verbo; *ubi licentia, ibi eſt ſtatim confuſio.*

Cecidit Caſimirus, ſed & unà cum ipſo Polonorum LIBERTAS;

Quam dum quærunt nimiam, amiſère totam.

Acta hæc ſunt Anno à vindicatà per partum Virgineum Chriſtianà libertate CIↃ. IↃC. LV.

Quem ad perpetuam rei memoriam huic incluſimus Chronoſticho:

CasIMIrVs eX-reX artIbVs VarIIs nefarIIs
DetrVsVs abIIt è regno patrIæ.

LIBERTAS.

QUam ſagiter indagas Germane!
En ego,
Quæ Regibus quondàm noſtris dominabar, Nobilitatem tuebar,
In inferiores Tyranni inſtar ſæviebam,
Olim terror, modò ludibrium,

Lunari Monarchæ oppoſita,

Editura montes, enixa mures:

Conſervatoribus & Tutelaribus Patronis confuſis,

Magnatibus proſtratis,

Aliud ſubſidium, quam miſericordiam deſerta, nullibi proſpicio:

In quam modò tàm prona, quā nuper immodicâ fui ſævitiâ:

Adverſis pavida:

Quæ inter ſecunda non divini, non humani juris memor, ore procax, animo ignava, ſpecioſa verbis, re inanis aut ſubdola, futuri improvida, ſpe vacua, tumui nimiâ fortunâ, ſecurè in ſuperbiam prolapſa, fiduciâ in ſollicitudinem versâ,

Spe virtutis Gentis meæ,

Otio laſcivæ & libidinibus corruptæ:

Vidua a.

Aurea quondam Sarmatarum ſuper omnes theſauros æſtimata,

Ac tantoperè decantata ubique

Polona libertas,

Borealibus iſtis Populis delata, caduca diſpereo,

Patriæ ignominia, Europæ opprobrium, univerſo Orbi, prodigium.

Alium in nullum, quàm Gentis internecionem, belli finem accurata:

Diſce meo exemplo, ut venereris, Teuto tuorum

Atque feras Regum fortiter ingenium.

Anno, quo

SarMatIæ LIbertas CaDIt & InterIt;

Digitized by Google

Aureæ quondam Polonorum LIBERTATI
Exequias, queis commodum eſt, ite.
Quod enim à tot jam annis timebant cordatiores Politici,
Verebantur ipſi, queis mens non læva, Poloni,
Omni dioptrâ, opticoque tubo clarius ſæpè futura
Proſpicientes, imò ipſas non rarò Mathematicorum
Aſtrologicas divinationes ſuperantes:
Idipſum propè factum peractumque vident, inimici rident, amici deflent, neutras complexi partes mirantur, plerique alii ſtupent.
Scilicet hi ſolent eſſe fructus nimiæ, & mediocritatis terminos egreſſæ LIBERTATIS: facilè in licentiam ipſam degenerat: Hæc autem in ruinam, in ſervitutem in exitium.
Gloriabantur Poloni ſe, præ Nationibus reliquis, optimâ Regiminis formâ felices, dum Regibus ſuis ipſi, velut imperitarent. Semet intereà legibus, ad quas Reges tamen vi ſæpè ac armis adegerunt, ſubtrahentes: Et hanc vocabant LIBERTATEM, quam ſapientiores *Licentiam illicitam.*
Hâc ſe felices ſorte deprædicabant: hoc Dei munere beatam Patriam ſuam: Imò tantò beatiorem, quò rarum magis aliis populis iſtud eſſet decus, ignotumque bonum, quo ſe præ cunctis mortalibus beari autumabant.

Nam quæ reviſat limina dulcius
Movortiarum maxima gentium
Regina LIBERTAS, Polono,
Orbe magis litavisque campis?

Hæc fauſtitatis mater & obii,
Beata nutrix. Regibus altior.
Ipſaque Majeſtate major,
Et patriæ melior magiſtra.
Felicitatis, ſanguine denique
Quæ ſita multo non ſine gloria
Reperta multo.

Amiſſa multò, nunc forſan diceret, ſi hanc patriæ faciem, videret Princeps Polonorum Poëtarum, ipſique adeò *Horatio* ſuppar *Sarbievius*: Qui tamen nihilominus ſalubria valdè civibus ſuis dogmata reliquit; Quæ ſi obſervaſſent, liberi forſitan manſiſſent: nunc Suecico Jugo oppreſſi, aut mox amplius opprimendi.

Gloriabantur, ignota ſibi atque inviſa nomina illa, ſubjectionem præ ſe ferentia.

Lex Majeſtatis, Tributa, Delectus, Supplicia, Carcer, Proſcriptio.

Eâ ratione beatam ſe in terris vitam agere autumabant, Cui nihil ad fortunæ cumulũ addi poſſet, niſi perpetuitas.

Quis verò tali ſtatui ſpondeat perpetuitatem, in quo confuſa omnia, imaque ſummis mixta?

Ubi Parentes Imperantium, Imperatores Parentum loco repoſiti?

Quis non miretur vanas quoque Polonorum aliquot ſcriptorum de rebus ſuis jactationes?

Lechiam inclytam ac liberrimam divûm Domum, divæ libertatis templum, libertatem ſemper ſecutam & aſſecutam, ante cujus thronum proſtratum, quodcunque Gentium tegit Septentrio,

quam

Digitized by Google

quam latè à Carpathiis montibus ad Mare Caſpium, à glaciali Oceano ad Euxinum Pontum patet Europa!

Qualia non domi tantùm ſuæ, ſed palàm in ipſa urbium urbe pluſquam Panegyricè, ac Theatricè, non ita pridem effuderunt?

Quid quod *Sarmatiam* ſuam ſolùm *monſtra non parere, aut alere, nullius jugum expertam aut toleraturam, tot formidandas aliis acies hoſtium nudis ſemper pectoribus ſiſtentem, LIBERTATIS cuſtodem acerrimam, rebelles Leones Suecicos manſuefacturam*, invidioſis laudibus glorioſè ſoliti ſunt ubiq; prædicare?

Ubi verò aurea nunc & invicta illa LIBERTAS, ubi pectora fortiſſima, Orbis Chriſtiani antemuralia, quæ nuda olim ac ſola tot inſuperabiles acies ſtiterant? quæque ſibi pro muris eſſe gloriabantur.

Quâ nunc ratione tàm ſubitò talis ac tanta Polonia ad contempti paulò ante Reguli pedes, quaſi ſupplex, procumbit; liberum illud collum, nullius ante jugum ferre ſolitum, illàsque manus liberrimas, illos excelſos & ad imperandum natos animos eidem ſubmittens, Regemque ſuum abjectè deferens?

Scilicet hic exitus eſſe ſolet licentioſæ ac nimiæ LIBERTATI, quæ frenum ullum pati neſcit, Seſſorem excutit, mox tamen alium acceptura longè graviorem, qui omni libertate ademptâ duriſſimè illam, velut Equum iſtum cervo infenſum in fabulis habitura eſt.

Ita qui nimiam quærunt libertatem, amittunt omnem.

Diſcite

Diſcite coævi Populi: Diſcite Poſteri:
Nil temperatâ beatius libertate.
Ea inquam, quæ ſub bonis Regibus atque legibus omnium optimè obtinetur: Fœlici ac recto imperando parendique æquilibrio: ubicunque enim quodlibet licet, ibi plerumque id, quod nunc videmus hîc, contingere ſolet.
Tu imprimis aliorum damnis ut ſapias velim.

GERMANIA MEA.

SPecioſo iſto vindicandi LIBERTATIS titulo, & ipſa jam plus ſatis hactenus decepta ab aliis, quæ ſub prætextu tuorum commodorum ſua quærunt, Tibique ſervitium omni jugo gravius ſenſim ac ſine ſenſu, ut jam experta partim es, imponunt.

Concordiam igitur ante omnia ama, & quære Imperatoris Imperio pacem:

Exterorum ſeductiones & fallacias, in tui ruinam paratas, devita, priſcam illam Atavorum Tuorum fidem, virtutem, religionem, more majorum, ſine fuco, cole.

Sic eorum quoque fortuna, ſic benedictio divina te porrò manebit;

Sin; quæ tot alios, te quoque fortuna manſura eſt;

Utinam falſus ſim Vates;

Sed utinam tu quoque monitis iſtis fideliſſimis aurem præbeas,

Et hunc annum uſui Tuo benè obſerves,

Quo

CaDente poLonIa ſapIas gerManIa:

Ne & Ipſa Intereas, ſanè pareas.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Diſcite coævi Populi: Diſcite Poſteri:
Nil temperatâ beatius libertate.

Ea inquam, quæ ſub bonis Regibus atque legibus omnium optimè obtinetur: Fœlici ac recto imperando parendique æquilibrio: ubicunque enim quodlibet licet, ibi plerumque id, quod nunc videmus hîc, contingere ſolet. Tu imprimis aliorum damnis ut ſapias velim.

GERMANIA MEA.

SPecioſo iſto vindicandi LIBERTATIS titulo, & ipſa jam plus ſatis hactenus decepta ab aliis, quæ ſub prætextu tuorum commodorum ſua quærunt, Tibique ſervitium omni jugo gravius ſenſim ac ſine ſenſu, ut jam experta partim es, imponunt.

Concordiam igitur ante omnia ama, & quære Imperatoris Imperio pacem:

Exterorum ſeductiones & fallacias, in tui ruinam paratas, devita, priſcam illam Atavorum Tuorum fidem, virtutem, religionem, more majorum, ſine fuco, cole.

Sic eorum quoque fortuna, ſic benedictio divina te porrò manebit;

Sin; quæ tot alios, te quoque fortuna manſura eſt;

Utinam falſus ſim Vates;

Sed utinam tu quoque monitis iſtis fideliſſimis aurem præbeas,

Et hunc annum uſui Tuo benè obſerves,

Quo

CaDente poLonIa ſapIas gerManIa:

Ne & Ipſa Intereas, ſanè pareas.

FINIS.

Digitized by Google